Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31713
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

proprio sensu proferre aliquem intellectum. et secundum ea que in ecclesia di-
dicisti. tempta et tu bibere de fonte ingenii tui. Est intra te
natura aque uiue. sunt uene perennes. et irrigua fluenta ra-
cionabilis sensus. si modo non sint terra. et ruderibus oppleta. Sed satis age
fodere terram tuam. et purgare sordes id est ingenii tui amouere de-
sidiam. et torporem cordis excutere. Audi enim quid dicat scriptura.
Punge oculum. et profert lacrimam. Punge cor. et profert sensum. Purga
ergo et tu ingenium tuum. ut aliquando etiam de tuis fontibus bibas et
de tuis puteis haurias aquam uiuam. Si enim suscepisti in te uer-
bum dei. si accepisti ab ihesu aquam uiuam. et fideliter accepisti. fiet
in te fons aque salientis in uitam eternam. in ipso ihesu christo domino
nostro. cui est gloria et imperium. Explicit omelia xii. Incipit xiii.

De puteis quos fodit ysaac et repleti sunt

Solita erga puteos semper a philistinis.
patriarcharum inuenimus exercitia. Ecce enim refert scrip-
tura quod ysaac postquam benedixit illum dominus. et magni-
ficatus est ualde. aggressus est opus magnum. et cepit inquit fo-
dere puteos quos foderant pueri eius in tempore patris eius abrahe.
Sed oppilauerant eos phylistini. et impleuerant terra. Primo ergo
habitauit ad puteum uisionis. et illuminatus a puteo uisionis. ag-
greditur alios puteos aperire. et non primum nouos puteos. sed quos
foderat pater eius abraham. Et cum fodisset primum puteum. zelati sunt
inquit eum phylistini. At ille zelo eorum non est deterritus. nec cessit inui-
die. sed iterum inquit fodit puteos quos foderunt pueri abrahe
patris eius. et oppilauerunt eos phylistini post mortem abrahe patris
illius. Et posuit illis nomina. secundum nomina que imposuerat
pater eius. Fodit ergo illos puteos quos foderat pater suus. et per ma-
liciam phylistinorum terra fuerant repleti. Fodit et alios nouos
in ualle gerarum. non quidem ipse sed pueri eius. et inuenit inquit
ibi puteum aque uiue. sed rixati sunt pastores gerarum cum
pastoribus ysaac dicentes. suam esse aquam. et appellauit nomen